



DISSERTATIO PHYSICA,  
DE  
FIGURIS VARIARUM RERUM  
IN LAPIDIBUS  
ET SPECIATIM FOSSILIBUS  
COMITATUS MANSFELDICI,

X 2002 409

Quam  
Adspirante Summo Numine,



&  
Amplissima Facultate Philosophicâ concedente,

SUB PRÆSIDIO  
VIRI



Plurimum Reverendi atq; Excellentissimi

DN. VALENTINI ALBERTI,

SS. Theol. Licentiati, ejusdemq; Extraordinarii, necnon  
Metaphysices & Dialectices Ordinarii PROF. PUBL. celeberrimi,  
Facultatis Philosophicæ Assessoris & Collegii B. Virginis  
Collegiati gravissimi, de omnibus his officiis longè  
meritissimi,

DN. Patroni ac Studiorum Promotoris ad æternam mnemori-  
synes aram omni observantiæ cultu prosequendi,

*Publicæ Φιλοσοφῶν συζητήσεως subjectam pro virili defendet*

JOHANNES AMANDUS BRUNNERUS,

Schraplav. Saxo, Phil. & Bonar. Art. Baccalaureus,  
SS. Theol. Cultor.

*In Athenæi Philuræi Majoris Principp. Collegii Auditorio Majori  
d. 8. Septembr. A. C. E. M DC LXXV.*

LIPSIÆ, Literis JOH. GEORGI.



DISSERTATIO PHYSICA

DE AERIS ELASTICITATE

AVCTORE JOHANNI WILHELMO

WILHELMO WILHELMO

AD PRAEFATIONEM

WILHELMO WILHELMO

WILHELMO WILHELMO

WILHELMO WILHELMO

WILHELMO WILHELMO

WILHELMO WILHELMO

WILHELMO WILHELMO

WILHELMO WILHELMO

WILHELMO WILHELMO

WILHELMO WILHELMO

WILHELMO WILHELMO

WILHELMO WILHELMO



mi  
tan  
gen  
ip  
qu  
plan  
pic  
no  
cia  
ru  
ha  
qv  
ph  
in  
re  
di  
bi





A & Ω.

## PROOEMIUM.



*N*omina, inquit (a) Scaliger, *Tu lapidis, qui quotidie tuis oculis obversatur, formam: & Phyllida, solus habeto.* Ingens præmium pro retantilla! Lucri itaque quantum faciam ego, qui formas lapidum non vulgares, sed eas, quibus raritas ipsa pretium facit, nominare non tantum, sed & describere institui? Omnem tamen hunc conatum meum, commodo illo à Scaligero liberaliter promisso nondum dignum esse, fateor ipse. Nam ea Forma, de qua Magister subtilitatum loquitur, est substantialis, quæ in nulla re nobis notæ plenè & planè. (b) Illæ verò formæ, quas ego in nonnullis lapidibus ostendere volo, pertinent ad accidentales, cum non dent τὸ πῖ ἢ εἶναι sive essentiam, nec ex lapidibus faciant res alias, e. c. pisces. Imò in ipsis piscibus, quorum speciem lapides nostri fossiles sæpissimè referunt, hæ partium configurationes sunt formæ accidentales, quia in exterioribus hærent. Hinc externæ à Metaphysicis & figuræ à me in Titulo dictæ. Ut proinde in me, qui in iis, & quidem prout extra pisces, aliasque res in lapidibus videntur esse, recensendis & explicandis occupatus ero, quadret illud, quod Scaliger (c) alibi dicit: *Sicut vulpes elusa à ciconia lambimus vitreum vas, pul-*

A 2

tem

(a) De Subtil, Exere, CCCVII, Sect. 12. (b) ibid. (c) l. c. sect. 21.



tem haud attingimus; Tantum abest, ut internas & substantiales lapidum formas Lectori, aut mihi præmium à Scaligero oblatum promittere audeam. Nihilominus puto me operam non planè perditurum esse, si de naturalibus hujusmodi formis seu figuris lapidum, cum in genere tum in specie, quales in Comitatus Mansfeldensis metallifodinis conspiciuntur, breviter egero. Amor enim in scientiam naturalem, studiumq; veritatis, maximè verò affectus in (d) *dulcissimam* patriam, feliciter causam, spero, meam orabit. Duo verò Tractationis Capita erunt: In primò historicè: In secundò philosophicè, & quidem secundum quatuor causas in distinctis quatuor Sectionibus has figuras contemplanor. Faxit autem DEUS Optimus Maximus, (e) *cujus opera sunt mirabilia*, ut anima mea cognoscat ea probe.

## CAPUT I. HISTORICUM.

### §. 1.

**N**aturales sunt figuræ illæ, de quibus ago. Artificiales itaq; non opus est recensere, etsi stupendæ nonnunquam in lapidibus visæ fuerint, hodieq; ostendantur. Sic Augustus olim quatuor Elephantos ex Obsidiano lapide formatos habuit, quos pro miraculo in Concordiæ templo dicavit. (f) Nec hodiè Italia aliæq; Regiones destituuntur Artificibus, qui lapides in varias figuras induere, iisq; tam domi quàm foris superbire possunt. Sed hæ nihil ad me.

§. 2. Naturalium tanta propè, quanta rerum creatarum varietas est. Mihi quæ ad manum, in animatorum & inanimatorum

(d) Nescio, quâ natale solum dulcedine cunctos

Ducit, & immemores non finit esse sui. Ovid. lib. 1. de Ponto

El. 4. (e) Psalm. CXXXIX, 14. (f) Plin. Nat. Hist. Lib. 36. c. 26. De Figuris talibus videri potest Gesnerus de Rerum fossilium figuris & similitudinibus p. 96. seqq.

rum imagines dividuntur, easq; primùm in lapidibus variis extra, deinde intra Patriam, fossilibus (fossilibus, germ. Schiffersteinen) Mansfeldicis, considerabo.

§. 3. Atque ut à maximè notatu dignis incipiam: In ripâ maris pacifici, quæ respicit Arancum, Inbulia dicta, montosus locus est rupibus & salebrofis faxis penè inaccessus, usquedum pervenias ad planitiem & colliculum amœnum, qui respiciendo rupem excavatam, spectandam præbet admirandam & prodigiosam imaginem B. Virginis à naturâ ibidem expressam, cum suô pretioso filiô in brachiis. Saxum nigrum efformat capillos per dorsum humerosq; ventilatos & diffusos. Candidum verò os ad unum latus distentum, ita ut solummodò unus oculus magnâ proportione & elegantia delineatus appareat. Vestis roseo colore usq; ad cingulum, pallium colore citrinò, intra comparente colore cœruleo efformatum. (g) *Atban. Kircherus ex Alfonso de Valle.*

§. 4. Anno 1659. in Helvetia intra montem, vulgò Gottesvald dictum, lapis inventus, in cuius centro figura Deiparæ Filiicq; non sine stupore videntium. *Idem.* (h)

§. 5. Ticini, vulgò Paviæ, in cœnobio Carthusianorum, Christi crucifixi & spineâ coronâ redimiti in marmore à natura pictam similemque huic Venetiis in templo S. Georgii reperiri, *idem l. c.* scribit, & ex (i) *Ambrosino* eandem in filice à naturâ formatam fuisse memorat.

§. 6. *Idem* (k) se apud Justinianum principem Bassanensem Angeli sub formâ pueri imaginem in lapide expressam, & apud Paulum Jordanum Urfinum Braccariensem in lapidis multilateris quovis latere angelicorum capitum figuras vidisse affirmat.

§. 7. Marmoris frustum sectum ad lateritium parietem incrustandum, edidisse effigiem barbati senis, quam ad Paulum primum Eremitam uno consensu omnes retulerint, eumq; concivem suum, Leonhardum Crassum nomine, ad Maximilianum Imperatorem tunc temporis Ratisbonæ commorantem, afferendum curasse scriptum reliquit (l) *Scaliger* αὐτόπῳ.

A 3

§. 8. In

(g) In Mundo subterraneo lib. 8. sect. 1. c. 9. p. 45. (h) Sect. 2. cap. 2. Hanc figuram typis edidit unâ cum historicâ relatione Perillus & Generosus Dominus de Sonneberg. (i) lib. de lapidibus. (k) l. c. (l) cit. lib. de subtil. Exerc. CXVII.

§. 8. In (m) Plinianis monumentis extat Regem Pyrrhum habuisse Achaten (in Græcia effossum) in quo novem Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.

§. 9. In Italiâ repertum esse Achaten, in quo apparuerit regium caput diademate ornatum, naturalibus id exprimentibus venis, absq; omni artificis manu, invenitur apud (n) *Solinum*. Similem huic figuram marmoris impressam fuisse, apud (o) *Fulgosum* reperis.

§. 10. Felis, volucrum, aliorumq; brutorum imagines apud (p) *Kircherum* legimus repertas, e quibus: In Sacristia Collegii Romani columnam marmoream ex nigro & albo mixtam, in qua Natura pelicanum pinxerit, contorto collô pectus sibi aperientem, mutilis ungvibus pedum; notasse sufficiat.

§. 11. Sombros duos lusu naturæ in marmore Veronensi expressos (q) *Ulysses Aldrovandus* habet.

§. 12. In Bergomi urbis fano majori in lapide porphyrite, ad Baptisterii ornatum posito, serpentem in orbem circumvolutum conspici, testis *Fulgosus* l. c. In lapide nigro formâ coni, summâ parte præcisâ, serpentem pulcherrimè expressum quasi pictum, infima parte pallidiorem, nullibi perspicuum, repertum esse, lege apud (r) *Cardanum*.

§. 13. Pastinacæ radium naturæ lusu exsculptum, sibi communicatum à Johanne Pona pharmacopolâ Veronensi, testatur (s) *Ul. Aldrovandus*.

§. 14. Apud Tyburtum Urbem candidissimos lapillos, dulciariis condituris, velut amygdalorum, coriandri, anisi atq; aliarum hujusmodi rerum, formæ adeo similes, ut non nisi prudentes discernant, reperiri, lege sis in (t) *Majolo*.

§. 15. Lapidem Astrionem, in India ortum, crystallo similem, in centrô stellam continere, lucentem fulgore lunæ plenæ; Gemmamq; candidam aliam, Asteriten nomine, inclusam lucem  
fove-

(m) Nat. Histor. lib. 37. c. 1. (n) Polyhistor. p. 238. (o) L. 1. c. 6. (p) cit. loc. (q) de piscibus Lib. 2. c. 53. figura autem typis cupreis excusa, p. 106. (r) Lib. 7. de subtil. p. 201. (s) lib. cit. 3. c. 56. p. 162. (t) Dierum Canicular. Tom. 1. Coll. 18. p. 235.

fovere, velut stellam introrsus ambulantem, quæ solis radios redderet, memorat (u) *Sim. Maj.*

§. 16. Sic & *Kircherus* de Achate tradit, quod in eo circuli unâ cum stellis delineati, & in aliô ursæ majoris asterismus; In selenite Lunæ non plenæ tantum; sed & cornutæ & dichotomæ figura comparuerint, &c. Pariter ac (x) *Agricola* de Tephrite lunæ incurvatæ formam repræsentante.

§. 17. Lapidem alium, cui undiqvaq; stellæ impressæ, adducit (y) *Gesnerus*.

§. 18. In scrinio Imperatoris Rudolphi II. vidi, inquit Archiater ejus (z) *Ansel. Boëthius*, Jaspides, nemora, palustria loca, arbores, nubes & flumina, ita naturaliter referentes, ut procul aspicienti non lapis sed pictura putaretur.

§. 19. In agrô Veronenfi lapides, in quibus sigilli Salomonis imago ad amussim depicta, inventos (A a) *Cardanus* refert.

§. 20. Tolfensi in agrô repertum esse genus lapidum, cui non græci tantum, sed & latini Alphabeti literæ omnes, prætereâ omnia ferè ea simplicium figurarum schemata, quæ Euclides in suis Elementis Geometricis demonstrat, à naturâ formata se vidisse scribit (b) *Kircherus*.

§. 21. In Fodinis Tyburtinis Inscriptionem crucis Christi quatuor his literis J. N. R. J. comprehensam, in lapide à Natura depictam *idem* notat.

§. 22. Lapidem quendâ marmoreum, depictam urbem turritam, domib<sup>9</sup> & fenestris instructam, continuisse, inq; suô Muséo reservatum refert (c) *Kirch.* Jungo huic relationem Sympatriotæ æstimati, qui Norimbergæ, apud Ferdinandum Talienski, Baronem Bohemû, imaginem Constantinopoleos & Parisiorum in albô marmore depictam, ex lapidinis Italicis effossam, se vidisse asseverat.

§. 23. A rupibus aqvilonaribus tonitruum vi, adeo ingentia saxa abscindi, ut præter amplitudinem admiratione dignæ formæ, quarum aliæ columnarum, aliæ pyramidum, aliæ obeliscorum, non aliter atq; periti fabri peregissent, apud (d) *Majolum* invenies.

§. 24.

(u) loc. cit. p. 235. ex Aug. de Civit. Dei lib. 21. c. 5. & Isidor. lib. 16. c. 4. & 10.  
(x) Lib. 1. de Natura fossil. p. 176. (y) l. c. p. 39. (z) Lib. 2. de gemmis, cap. 95. (A a) l. c. ex Relatione Leonis Baptistæ Alberti. (b) Lib. 1. sect. 3. de lapidibus, c. 8. (c) lib. cit. c. 9. (d) loc. cit.

§. 24. In orbis novi parte exactè rotundos globos militari-  
bus usibus aptos, & à natura formatum pulverem tormentarium  
reperiri, (e) *idem* adstruit.

§. 25. Has impræsentiarum retulisse sufficiat. Ex reliquis  
compendio non paucos complexus est (f) *Gassendus*, cujus verba  
facio mea: Quid commemorem verò lapides: quos inter smarag-  
dus dodecahedrica specie nascitur, Adamas octohedrica, Ame-  
thystus hexahedrica, & CrySTALLUS etiam, non modò quæ paralleli-  
pipedos est, verùm etiam quæ in cuspidem coit? sic & apud nos  
creatur Rhomboites, & passim Pyrites tessellatus est, & Specularis  
lamellatus, & Focarius tabellatus, & Cotes etiam id speciale ser-  
vant, ut sint præter formam, longitudine ad latitudinem duplâ.  
Dicerem de Stellatis, Striatis, Cornutis, Conchitis, Ostreitis, Pecti-  
nitis, Stromboitis & cæteris, imò & de Fluviatilibus, aliisq; passim  
obviis, etiam de Saxis, Rupibusq; quibus, si per tempus liceret, suas  
quoque esse figuras nativas edissererem. Sed has & plures Curiosus  
apud *alleg. ant.* & præsertim (g) *Kircherum*, Virum, ut in omni, ita  
& hoc scibili versatissimum, & compendiosum earum Catalogum  
apud *Jonstonum* legere poterit, admiratione digna reperturus.

§. 26. Pergo ad figuras, quæ in lapidibus fossilibus Comi-  
tatus nostri Mansfeldici inventas esse constat, quæ non omnes, ve-  
rum maximè memorabiles adducam. Prima esto imago B. Virgi-  
nis, Jesulum filium in ulnis portantis, anno 1637. extracta, quam  
ab Illustrissimo Comite Carolo Adamo Viennam missam, tum me-  
tallifossorum adhuc vita superstitem calculis, tum imaginis hu-  
jus picturâ in linteamine prostante, probatum.

§. 27. Ante annum inventa Angeli figura, qualis vulgò  
pingi solet; quod ex relatione ipsius inventoris mihi compertum.

§. 28. Luthero adhuc in vivis in lapide fissili Papæ triplici  
suâ corona & vestitu solito ornati, imaginem, radiis, s. coloribus  
aureis illustratam, repertam esse, suffragio multorum ocularium  
testium cum sui ipsius reliquit (h) *M. Christophorus Irenæus*.

§. 29.

(e) l. c. p. 242. ex Olao M. prius, posterius ex Petr. Hispan. p. 5. c. 9. & 23. de quo  
& Gesnerus lib. cit. p. 20. (f) In Orat. inaugurali quæ ejus Institut.  
Astron. adnexa est p. 176. (g) Integrum textit Catalogum lapidum,  
quibus nomen à similitudine rerum quæ referant, Lib. 8. Sect. III. cap. 6.  
& Jonstonus in Notitia Regni mineralis p. 60. seqq. (h) Lib. de Mon-  
stris, Sect. 7.



§. 29. Imaginem protoplastorum, fructum vetitum depa-  
scentium repertum, multis constat.

§. 30. Fertur quoque à Majoribus, imaginem Equitis seu  
Georgii draconem alatum interimentis, quæ inter insignia mone-  
taria Illustr. Comitum habetur, fuisse inventam.

§. 31. Freqventissimæ autem sunt Figuræ piscium, quas à  
primâ harum fodinarum origine usque ad præsentia tempora re-  
pertas, testatur optima rerum Magistra, Experientia, siccò idem  
(i) memorabilium consignatoribus pede minimè prætereuntibus.

§. 32. Et hæ piscium fossilium nomine etiam venire pos-  
sunt, ab aliis tamen, propria hac suâ denominatione gaudentibus  
distinctæ.

§. 33. Nimirum & pisces fossiles reverà tales, qui è terra  
effodiuntur, nonnunquam inventi sunt; cumq; pisces lapidei præ-  
cipuam argumenti mei partem constituent, non incommodum  
erit, brevem piscium aliorumq; animalium fossilium, verè anima-  
lium, narrationem attexere, ut à nostris tanquam corpora ab um-  
brâ, luculentissimè distingvi possint.

§. 34. In Anconitanò littore ac mari lapides comperiri, o-  
mni ex parte integros ac solidos, in quorum medio pisces lateant,  
quorum egressus ingressusve nullum vestigium sit, esseq; possit,  
dissectis tamen erumpant, ad usum hominum percommodi, literis  
consignavit (k) *Sim. Majolus*.

§. 35. Circa Heracleam & Cromnam & multifariam in Pon-  
to genus piscium esse, quod extremas fluminum aquas sectetur,  
cavernasq; sibi faciat in terrâ, atque in his vivat, etiam re. i. procis  
amnis, siccatò littore; qui effossi demum, motu vitæ indicium  
reddant: Similiter in Paphlagoniâ pisces effodi gratissimos, ibi  
locorum, ubi nullæ restagnent aquæ (l) *Plinius* refert.

§. 36. In horum numerum pisces nomine Beizkeros, qui  
in Misenâ trans Albim duobus locis fodiantur, prope Ortrantum,

B

& ad

(i) Hi inter alios sunt Joh. Kentmannus in Nomenclatura rerum fossilium. pag.  
162. Mich. Neander Phys. p. 128. Georg. Agricola de Natura fossilium. Lib.  
1. fol. 177. Simon Majolus Lib. alleg. p. 235. (k) loc. cit. p. 150. (l) Nat.  
Histor. Lib. 9. c. 57. ex Theophrasto: Majol. loc. cit. ex Aristotele: Dale-  
champius in not. Plin. ex utroque.

& ad Bobram prope Hanam oppidum, (m) *Ulysses Aldrovandus* ex *Agricola* recitat.

§. 37. Multum his affines sunt conchæ, insectaq; fossilia, quæ in lapidibus inventa (n) idem retulit *Agricola*.

§. 38. Addo his alia: In saxi medio Arcis Augustoduni, in agro Virodunensi, dum secaretur, bufonem, parili ratione serpentes sese stitisse à (o) *Majelô* memoratur.

§. 39. Ranas venenatas, quas metallici, ex ignis infidentis colore, pyriphrynos appellent, in saxis perpetuo quasi conditas & sepultas latere, altius intra terram gigni, & modo in venis, venuis, saxorum commissuris, modo in saxis ita solidis, ut nulla foramina, quæ videri possint, appareant, cum cuneis dividantur, reperiri, ex subterraneis autem cavernis in lucem elatas primò turgerere ac inflari, mox de vitâ decedere, iterum scribit (p) *Agricola*.

§. 40. Inter fossiores nostros est aliquis qui hoc affirmat, dum in venâ inter findendum se reperisse ait massam quandam, duram, quam postquam secum elatam, cophino injecisset, paulò post vivum bufonem deprehendisset.

§. 41. Verùm cum hisce & fossilibus piscibus propriè dictis in præsentî Dissertatione nihil mihi commercii. Solæ Figuræ, ex quibus naturales tum aliarum rerum tum piscium à me, non pisces ipsi, jam apponuntur. Unde sequatur.

## CAPUT II. PHILOSOPHICUM DE QUATUOR CAUSIS.

### SECTIO I. DE CAUSA EFFICIENTE.

§ I.

**I**, qui de re propositâ non prius pro utraq; parte disputant, similes sunt iis, qui, quò eundem sit, ignorant, inquit (q) *Stagirites*. Hoc animo reputans,

(m) De piscibus, Lib. 5. c. 8. (n) Lib. de Natura fossilium, p. 177. (o) Lib. cit. p. 242. ex Fulgof. lib. 1. c. 6. (p) Lib. de animantibus subterraneis, Lib. de re metallica annexo, in quo provocat ad saxum arenaceum Tolosæ in Galliis, Fodinam Sæebergensem & nostram Mannisfeldensem. De piscibus his fossilibus prolixè agentem vide Casparum Schottum in *Physicâ Curiosâ*, lib. 10. cap. 16. p. 1340. (q) lib. 3. Met. c. 1. text. 2.

putans, prius alios in præfenti materiâ audiam, quàm mentem meam exponam, licet non cum omnibus disputando, de eorum tamen rationibus dubitando; utilitatem inde, quàm (r) Stagiritæ Præceptorem commendasse memini, certò mihi promittens.

§. 2. Illorum autem, quos consului, sententias meæ anteponendo, sectionem hanc in duo membra subdividam.

## Membrum I. Aliorum ætiologiam continens.

§. 3. Ipsæ sententiæ ad tres classes à me funto relatæ. Eorum *prima* erit, qui causam adducunt casum, *altera*, qui naturam, *tertia*, qui pro subjecti differentiâ, diversam.

§. 4. I. Subtilissimus (s) *Scaliger Cardanum*, qui figuram in Achate Regis Pyrrhi casu factam, negabat, refutans, rudem hujusmodi imaginum delineationem casui, denominationem verò specialem arbitrio hominum imputat: *Maculas*, inquit, *in lapidibus multas conspeximus, quibus vidi potentiores pro suo supercilio varia imponere nomina.* Huic suffragatur (t) *Joh. Velcurio*: *Cognitionem habet natura, inquit, cum creatione atq; fortuna & voluntate in hoc, quod ista suos effectus habent interdum naturalibus similes, imò & simillimos, quia creatio idem facit ex nihilo, quod Natura producit ex aliquo, ut patet in Gen. cap. 1. & quia ars imitatur naturam, quatenus potest, sicut etiam fortuna, ut patet in metallaribus, quibus more fortuito innaſcuntur sæpè imagines piscium, animalium, herbarum, stellarum, sicut etiam fortuna fingit quandoq; species animalium & corporum in nubibus, temerè concurrentibus.*

§. 5. Qui II. inter Naturæ effecta ponunt, non iisdem verbis utuntur.

§. 6. (u) Alii ita differunt: Naturam esse imaginationem spiritus Macrocosmi. Uti enim imaginatio in microcosmo attrahat pestem, alios morbos, & ipsam a deo mortem, quomodo forti imaginatione non pauci interierint: effingat etiam in corporibus embryonum mures, moros, maculas &c: Ita in macrocosmo hæc ipsa imaginatio excitata à Spiritu Universi, effingat variarum rerum imagines in lapidibus subterraneis.

B 2

§. 7.

(r) Plato in Menone: Utilis, inquit, & fructuosa dubitatio est; ita de rebus dubitare, ut ad ipsarum veritatem inquirendam incitemur. (s) Exerc. 117.

(t) Commentar. in Aristotel. Physicam Lib. 1. p. 35. (u) Theophrastini, uqve communiter, qui spiritum mundi hodiè defendunt.

§. 7. (x) Alii autem sic: Naturam ab uno corporum genere ad alterum non procedere per saltum, sed in uno commorari, & in progressu ad alias aliquas species, priorum in his imagines delineare. Itaq; sicut Natura à plantâ per spongiâ & ζώοντα seu plantanimalia ad perfectum animal brutum, & per simiam ad hominem sensim adscendit: Ita ab inanimatis ad plantam, per rudimenta quædam plantarum, paulatim proficit: adeoq; conformatio illa quorundam veluti membrorum, quæ in lapidibus & metallis insensibilibus apparet, nihil est aliud, quàm rudimentum quoddam Naturæ, membra & organa plantarum animaliumq;ve facere, ut sic dicam, condiscantis.

§. 8. Aliorum ab his sententia est: Naturæ non esse insolitum accommodare sese ad ea, quæ in illâ Regione magni æstimentur, aut quorum usus inibi locorum fit tritissimus; ad hæc ipsi Naturæ, in inanimatorum productione, alludere, nihil esse alienum. Hi verò Terram vivere præsupponunt (y) ita ut in fit ei facultas formatrix, illi similis, quæ est in fœminis: ut species foris occurrentes, intus exprimat, uti naves, pisces, Reges, Pontifices, Monachos, milites fossiles.

§. 9. Illi demum, qui III. distinctè in causa determinandâ procedunt, pro figurarum qualitate, huic aliam, aliam illi assignant.

§. 10. Ex (z) Cardani iudicio duo sunt figurarum & imaginum genera: *Primum* quod semper in iisdem lapidibus apparet, & hoc à natura statuit provenire, quæ non secus ac in plantis foliorum & fructuum numerum servet ac rationem. E. l. adducit lapidem nigrum serpentem repræsentantem, lapides in quibus sigillum Salomonis expressum, Cap. I. §. 12. & 19. allatos.

§. 11. Hoc genus in *duo* subdividit: *Unum* quod quasi casu fiat, & tamen necessariò, velut rotunditas eorum, qui in mari nascuntur, quæ longo fluctuum attritu quicquid promineat exedente, proveniat; itidem illorum, qui in Poloniâ extrahantur ollarum formâ, quæ à circumpositione alterius lapidis dependeat. *Alterum* verò, quia Natura hanc formam propriè delegerit, & sibi pro fine proposuerit, ut in insulæ Cubæ lapidibus. Sed hoc *alterum* genus iterum subdividit.

§. 12.

(x) Fromondus Philos. Christian. de Anima, Lib. 1. cap. 1. pag. 13. (y) Kepler. lib. 4. c. 7. Harmon. Confer Campanell. lib. 3. c. 5. de Sensu. (z) de Subtil. lib. 7. p. 201. seq.

§. 12. Nam earum figurarum, quas Natura sibi proponit, *quædam* sunt velut substantiæ ac formæ, *aliæ* quasi picturæ, sed perfectæ. *Quæ* formæ loco sunt (sic enim loquitur) aut massam lapidis sic aliterq; formant, eas casu & non in omnibus fieri dicit; non secus, ac variæ in nubibus imagines generantur. Talis Alabandicus lapis, inventus Fribergæ imaginem simiæ ferens, scutulum, habentis rubrum, quod quatuor lineæ circumambivere, quarum prima tertiæq; albæ, secunda & quarta rubræ: It. ejusdem generis habens formam crucis. *Figuras* reliquas seu *picturas*, siquidem frequenter reperiantur, casu contigisse, dici vix posse putat: v. g. ranarum ac piscium è cupro, in lapidum superficie delineatas, quæ in Alsatia lacu juxta Misnenles montes sæpius fuerint conspectæ, in specie autem Olruppæ, quam Munsterus habuerit: Sed eas gaudere suâ causâ, quæ ex ejus mente varia est. *An igitur, inquit, quod hic piscis Olruppa nempe, aliquando lapidi hæserit, ideo cuprum variere factò lapide eruperit eâ parte? an potius quod aqua semine piscis infecta transeat in metallum? seu sidere aliquò imprimente. An similitudine aliquâ hoc natura sinxit, velut & in animalium generatione? Ergò melius est, hoc ad certas lapidum species transferre velut in animalibus & plantis, cum rectè figuræ delineatæ fuerint, & frequens eventus.*

§. 13. *Secundum* autem figurarum genus, quæ non frequenter, nec exactè delineatæ reperiantur, casu ac inconstanti ratione, fieri, atq; fortuitum esse pronunciat, velut & in nebulis, & plumbô liquefactô, in aquam coniecto, & ossibus lucii piscis, ad instrumentorum rusticorum formam comparatis.

§. 14. Ex hâc autem tertiâ Classe autorum, qui distinctè procedunt, & prolixissimus & accuratissimus est Jesuita, *Athanasius Kircherus*, (A a a) cujus *Πνεύμων ὡς ἐν συνόψει*, eâ quâ fieri potest brevitate, cum exemplis, hic relaturus sum.

§. 15. *Quadruplex* autem iconogenesias ab ipso modus constituitur.

§. 16. 1.) *Fortuitus*. Quemadmodum phantasia hominum, dum cœlum varietate nubium obductum videt, varia sibi, nunc dracones volantes, jam naves, modò montes, urbes & castella,

B 3

nunc

(A a a) In alleg. Mund. Subterr. lib. 8. sect. 1. cap. 9. cui Tit. De admirandis Naturæ pictricis operibus, formis & figuris, imaginibus, quas in lapidibus & gemmis delineavit, earumq; origine & causâ.

nunc cruces, modò humanas figuras, & similia phasmata, ex nubium incompositâ repræsentatione imaginatur; Quem in modum etiam vel in sputo in terram coniecto notamus aliquid subinde figurari, quod modò crucis, modò alii rei simile est; aut videntes montium sub certâ figura protensionem, nunc mensam concipimus, uti promontorium bonæ spei, nunc vultum humanum, ut Siciliae promontorium &c. quod & imaginatio præstat in laterum rudibus superficiebus: Ita & se res habet in nonnullis lapidum configurationibus. *Hæ, inquit, nata ex fluore salini liquoris, qui ubi terrenam & appropriatam substantiam adhuc mollem & siccitate jam ingruente, in multas rimas & sinuosos ductus fatiscentem se insinuaverit, uti in marmoribus videre est, fit ut ibidem spiritu lapidifico successu temporis omnia simul in duram & saxeam molem coalescant; ita pro rimarum fissurarumq; constitutione fluor insinuat, jam pulcherrima flumina, jam ramosas arbores & alias quascunq; formas (quas narrat) imò vel totius hominis vel partium humani corporis, eò modò quo possit, & pro dispositione materiae jam siccatae, in varias & vacuitates rimosas fatiscentis delineat, & quidem materiâ adhuc molli existente.* Quod autem hæc fortuita sint, probat inde; quia vix ulla ex iis, quæ animalis figuram mentiantur, forma perfecta fit, sed semper aliquod ad integram figuram constituendam, requisitum deesse, comperitur, ita ut non tam dicatur id esse quod reverà est, quàm quod phantastica facultas ex aliquâ analogia sibi imaginatur.

§. 17. 2.) *Ex dispositione terrena substantia pendens.* Intra hanc, tanquam intra formam, receptus humor tinctus tandem spiritu lapidificò in eam figuram, quam terrenæ substantiæ matrix refert, induitur. Hoc autem potissimùm vult intellectum de iis figuris, quæ perfectam aliquam imaginem solidam exhibent.

§. 18. Animi sententiam sic interpretatur: Postquam exempli loco posuit lapidem Romæ in Muséo Qvaldino reservatum, qui fissus intus ex utrâq; parte perfectissimi piscis formam exhibuerit, cinereo colore fulgentem, & spinosâ dorsi ossaturâ conspicuum, ex iis quos rhombos vocent, id hoc pacto contigisse ratiocinatur. Ex inundatione nimirum fluminum, tempore hyberno fieri solitâ, ingentem limi copiam in campis collibusq; coacervatam: hisce complures pisces unâ eiectiones, limoq; involutos, constitisse: limum verò successu temporis, spiritu lapidifico in saxum conversum

sum fuisse; huic uti hunc, ita multos alios involutos fuisse, qui in limo, tanquam in modulo quodam & matrice nativam formam suam impreserint. Inde hoc demonstrat, quod spinæ adhuc extititæ cum squamis, & partes pulposæ veluti abstractæ violenter, & laceratæ spectentur; ossatura autem adeo perfecta unâ cum spinosa substantia exprimat, ut ne pictor quidem quantumvis peritâ manu, ad naturæ prototypon pertingere queat &c. Hoc genus ipse in numerum piscium fossilium refert.

§. 19. Subjungit tamen in aliis non ossaturas, sed veras & genuinas animalium formas, easque sequenti modo saxo indutas. Cum materia lapidis salinis particulis, (quæ, ut supra docuerat, nimio quodam appetitu, Naturæ magnetismi nomine veniente, sese mutuò alliciant) uti & animantium corpora refertissima sint; hinc fieri, ut animal quoddam limosæ argillæ involutum, ibidem mox, ubi suam figuram expresserit, partium salinarum in animali, ad partes salinas in argillacea materia, confluxus fiat. Quoniam verò cuncta nimio quodam actinobotismo seu radiatione confluant, hinc fieri, ut particule radiantes, eâ tincturâ, quâ ipsæ pollent, materiam lapidis imbuant, unde tandem vel tota animantis figura, vel partes ejus mirâ quâdam symmetriâ emergant in lapide, multum concurrente ad hoc opificium facultate plasticâ, quam semper adhuc in cadaveribus stirpium animaliumque remanere demonstrat. Id tamen non de semine quodam à plantâ vel animali deciso, sed proportione quâdam semini respondente, vult intelligi. Atque hoc pacto piscem, terræ, quam tangat, proximè ad lapidis naturam inducendam dispositæ, formam sibi similem immediatè imprimere, probat inductione auri, & argenti reliquorumque metallorum vitali pollentium, non per veram vegetationem; sed per corpusculorum similia, magneticò quodam attractu, coeuntium, confluxum, seu juxtapositionem, in animatorum more &c.

§. 20. 3.) *Ex singulari accidente proveniens*, quò figuræ in lapidibus nunc in hanc, nunc in illam formam abeant.

§. 21. Formarum autem certas species constituit.

§. 22. *Primo* plantarum & arborum frugumque mirum depictas à Natura imagines in saxis, easque *quadruplices*: (1.) Borfycitis à Plinio dicti, referentis plantam in nigrocandidis aut sanguineis frondibus florentem. (2.) Nemorosæ petreæ ita ab *Imperato*, celebri

lebrī Antiquariō, dictæ, ejusdem cum Sinaitica (ab *Agricola* Dendrochata dictâ) internis fissi saxi parietibus innumeras plantarum, frugum imagines exhibentis, (3.) salicis ferratæ folia (unde & salicis folium dicatur) repræsentantis. (4.) Frumentati (ab *Imperato* nomen fortiti) spicarum aliarumq; frugum species exprimentis.

§. 23. De harum origine sequentia prodit: 1.) Quænam modum in inaccessis antiquarum fabricarum molibus, diversi generis herbæ & plantæ reperiantur, uti exempla ex *Plinio*, *Panarola* affert; ex feminibus, in imis ruderum detectis, vel vi ventorum, vel volucrum beneficio eò delatis; aut excrementis volucrum ibi depositis (in quibus nuclei v. g. dactylorum, ceraforum, prunorum integri remanerent): Ita pulveribus pluviâ aut rore maceratis, nihil facilius, quàm ut accedente solis calore, singula in sua speciei propria germina paulatim florescant; cui accedit quod calcis pulveres quid ad diversas herbas producendas insitum habeant. Pari ratione fieri posse, inquit, ut in lapidibus, qui cum contineant tale quid plantarum seminii, & ex eò plantarum substantiam Natura constituere non possit, solas in natura arborum herbarumq; imagines, plastica facultate, quæ seminali virtuti adhuc aliquo modo inexistere, depingat, sicq; plantas æquivocè dictas producat. Hoc suum assertum probat exemplo generationis hominis, qui marem semper generare intendat, sed voti minimè compos factus, foeminam, marem læsum dictum, generet.

§. 24. 2.) Priusquam saxum fiat, alicubi stirpes & plantas existere, præsertim minutioris subtiliorisq; substantiæ, & muscosi generis, quas postea humo effusus humor undiq; ac in lapidem conversus involvat, iisq; per petrificationem tribuat naturam suam sic, ut figuram ab ipsis mutuetur. Probat *tum* Experientia, sectione nempe horum lapidum parallela; quæ peracta, non in omnibus & per omnia similia iis, in prima superficie enatis, referant, sed differentibus ramorum ductibus, modo truncum, jam ramos quasi sectos, nunc partes alio & alio modo efformatas; *tum* exemplò CrySTALLI, in quo ipse talem formam viderit, & testimonio (b) *Liceti*.

§. 25. *Secundò* animantium. Has dicit esse veluti à sigillo aliquo impressas. *Sigillum* autem *duple* constituit:

§. 26.

(b) Lib. 3. de sponte viventium ortu.



§. 26. *Alterum* naturale, quod esse possit cadaver alicujus animalis; cujus pellis agglutinata materiae adhuc molli, ubi figuram sibi similem impresserit, ope plasticæ facultatis, quam in animalium cadaveribus remanere probat testimonio Alberti M. (c) *Admirabile*, dicentis, omnibus videtur, quod aliquando lapides inveniuntur, qui intus & foris habent imagines animalium, foris enim habent lineamenta, & quando franguntur, reperitur in iis figura intestinorum, quæ quidem aliâ ratione contingere non potuerunt, nisi ex animali ibidem in saxum converso; idq; omne vi attractiva magneticâ salinorum corporum in cadavere latentium, beneficio cujus confluunt, secumq; devehunt vim plasticam vis naturaliter insitam. Tandem consumptis flaccidioribus cadaveris partibus figura, corpore in saxum vi lapidificâ converso, prodit. Perfectas tamen rerum imagines, non totam saxi substantiam penetrare, sed in superficie tantum hæere notat, fretus lithotomorum testimonio: Quod verò subinde solummodo partes compareant; fieri posse vel ob disrupti cadaveris partes, aut ob materiae fluentis interruptionem.

§. 27. *Alterum* ex naturali & artificiali compositum. Fieri posse, scribit, ut quædam imagines, quas lithotomi s. lapidum fossores in suis casis, pro suâ devotione prope lapidum fodinas extructis, habuerint, ibidem relictae; dumq; fossæ, terræ & saxorum ramentis operirentur, simul in terram projectæ fuerint, luto cui involutæ, lapidescenti figuram suam impresserint, accedente naturali, quo polleant, magnetismô. Probat repertis in Tyburtinis fodinis variis instrumentis, clavis, palis, malleis fossoriis, quæ ferrea primum ibi relicta, tandem post multum temporis spatium, cum saxo coaluerint: It. saxo, cui literæ Inscriptionis crucis Christi *suprà* Cap. I. §. 21. appositæ, impressæ.

§. 28. Has geneses omnes probat experimentis tum sui ipsius, tum aliorum; inprimis Equitis *Vanni* Romani Pictoris, qui arte hæc magnum sibi nomen conciliârit, magniq; eandem vendiderit.

§. 29. (IV.) *Imagines lapidum sub quibus τὸ Θεῖον lateat.* e. l. ponit imaginem Christi crucifixi, B. Virginis Mariæ. Ortum adscribit admirabili nexui, quò divinæ providentiæ jungantur, hæc ad aliquid significandum directæ. Concludit demum, omnes qua-

C

les-

(c) Lib. I. de rebus metallicis Tr. 2. c. 9.

lescunq; sint, à Naturâ propriè fieri juxta secundum & tertium modum. Sicut tamen Naturæ operatio semper pendeat à concursu providentis omnium, ita quoque si hujusmodi Naturæ phasmatâ notabiles sequantur effectus, eos in causis suis jam prævisos esse juxta divini archetypi incommutabiles rationes legibus Naturæ connexas, quamvis hujusmodi minime miracula, sed mirabilia dici debeant, ut rectè *Thomas* doceat *Lib. 3. contra gentes.*

## Membrum II. in applicatione ad figuras nostras meam sententiam proponens.

§. 30. Sententias Autorum hæcenus adductas prius ventilabo, & ad veritatis trutinam; antequam, quid mihi videatur, exponam; appendam.

§. 31. *Illorum* qui *Casui* omnes hæc figurâ adscribunt, effato subscribere, sana vetat ratio, ne dicam injuria in Naturæ naturantis imperscrutabilem sapientiam, ex eo promanans.

§. 32. Argumentor in contrarium: Quæcunq; in aliquâ specie semper insunt subjecto, & constantis durationis, ea casui adscribi non possunt. Atqui figurâ nostrâ (piscium) in specie hæc lapidum fissilium. E.

§. 33. Majorem probo: Si ea quæ casu fiunt, rarò tantum fiunt; Sequitur ea quæ semper in certâ specie fiunt, casu facta non dicenda. Sed verum prius. E. & posterius. Prius constat suffragio Philosophorum. *Casus & fortuna tantum versantur in his quæ rarò contingunt.* (d) *Avenroës.* *Casus est causa per accidens eorum, quæ fiunt non propter hoc, neque semper, neq; frequenter, sed rarò.* (e) *Velcurio.* *Eventus fortuitus est effectus rarus proveniens à fortuna. Idem.* (f) Stante ita firmò talò priori, in dubium vix vocabitur posterius, quia contrariorum contraria est ratio.

§. 34. Minor fulcitur *Experientiæ* calculò, ab ipsò *Mansfeldensium* fodinarum ortu. Cujus fidem fide digna fossorum relatio firmat, qui ante annum spatium, in novâ apertâ, omnibus ferè extractis portionibus tales impressas fuisse, unò ore testantur, irruptione aquarum ulteriorem nunc inquisitionem præpediente.

§. 35.

(d) ad 2. *Phys.* Aristotel. cont. 48. (e) in *Commentar. Phys.* Lib. 1. c. 25. p. 109. (f) cap. seq.

§. 35. Si objicias: non semper ea, quæ rarò fiunt, casu fieri, ut eclipses rarò quidem contingentes, minùs autem à casu dependentes: Respondeo; *τὸ rarò impræsentiarum non ita accipiendum, ut tantùm neget frequentem positionem effectus quocunq; modo;* quia multa rarissimè contingunt, ut solis & lunæ defectus allegati, qui tamen non dicuntur effectus fortuiti, & casuales, sed naturales & necessarij, cum habeant causas determinatas, ex quibus certò & necessariò consequuntur; *sed habitâ ratione causæ, à quâ procedit effectus, quæ rarò debet, non autem regulariter talem effectum producere.* (g) Carol. Franc. D. Abra de Raconis. Undè res eò redit: figuras nostras non casu lapidibus impressas, quia non rarò nec irregulariter, sed frequenter & regulariter à Natura in hâc dispositâ lapidum fissurâ materiâ elaboratæ.

§. 36. Casus porrò dicitur in Naturâ locum habere, cum monstra nascuntur, quæ vocantur errores Naturæ; facit enim casus errorem in Naturâ, sicut fortuna parit errorem in homine. Qui igitur figuras casui vendicant, quid quæso aliud faciunt, quàm quod pro monstris eas venditent, non citra Naturæ naturatæ opprobrium, imò Naturæ naturantis?

§. 37. Breviter: Quæcunq; mundi ambitu cœliq; amplexu continentur, vi quædam insititiâ instructa sunt ad actum sibi peculiarem, ac suis quæque locis temporibusq; disposita, admirabili quædam vicissitudine munia sua obeunt, cursusq; perficiunt. *Atque operibus Naturæ hoc præcipuum adjunctum est, ut nihil temerè viceq; fortuitâ sit effectum.* Si ergò omnia; quis numero horum eximet figuras nostras inter insignia naturæ opera non postremum?

§. 38. *Alterâ Classis,* in quantum §. 6. ad spiritum universi confugit, incertum per æquè incertum probat. Dubium enim est, an ille detur, adeò quidem, ut qui patrocinantur ei, ipsi non pauca nolentes volentes afferant aut admittant, quæ existentiam ejus atq; essentiam evertunt. Hi itaq; non absimiles videntur ei esse, qui cum quæstio est de ignoto infantis patre, dicit se eum nosse, nomenq; affert Blictri, aut simile, quod ipse non intelligit.

§. 39. Idem dicendum est adversus illos *in secundo ordine,* §. 8. imò eò magis, quò certius est Terram non vivere, non obstantibus melancholicis (h) *Kepleri & Campanelle* imaginationibus. Reli-

C 2

qui

(g) Phys. p. 66. (h) Sic vocat eas Fromondus Phil. Christ. de An. L. 1. c. 1. p. 22.

qui verò, qui per gradus Naturam à specie ad speciem ascendere, statuunt. §. 7. dicunt quidem, quid fiat, sed non quo modo fiat; id quod est in quaestione.

§. 40. Restant *Cardani & Kircheri* sententia, quibus altiore mentis lance pensitatis, num & in quantum intellectum in assensum trahere possint; declarabo.

§. 41. Atque ut à *Cardano* incipiam: leges illum bonæ divisionis minus observasse, accuratè eum in præfenti materiâ perlegenti in apricò erit.

§. 42. Distingvit ille figuras in naturales & casuales. Naturales subdividit in casuales, seu casu (necessariò tamen) tales, & rursus naturales, quas Natura pro fine sibi delegerit. Quænam hîc sunt casuales necessariò? num casus rebus necessitatem inferat? Ut nihil dicam divisum hîc & in seipsum, & in oppositum suum videri distinctum esse.

§. 43. Ulterius: Naturales suprâ definitas iterum dispescit in formas & figuras. Formas ponit simiæ in agro Fribergensi inventæ, passeris, salamandræ, galli, pontificis barbati, Mariæ Virginis in lapidibus Hercinii nemoris. Has dicit æquè comparatas esse ac illas figuras, quas homo sibi in nubibus fingat. Maximam autem earum esse differentiam, qui vel unicam viderit, calculum mihi adjecturum confido. Illæ oculis expositæ cognosci possunt, ob subjecti, cui inhaerent, præsentiam proximam, quod veræ & exactissimæ figuræ & repræsentationes prototypi. Hæ autem, ob remotam à visionis facultate distantiam, phantasiæ impressione concipiuntur, cum tamen reipsa non sint; & ob nubium velocem motum aliquandò vix conspicuæ. Qualis ergò utrisq; intercedere potest convenientia?

§. 44. Ut taceam ipsum sibi ipsi contradicere. Qui jam formas à picturis seu figuris distinxit, statim easdem pro synonymis habet, a jens *Quod in Alsatiæ lacu juxta Misnenses montes ranarum ac piscium figuræ* (refert ad formas à figuris ante distinctas, particulâ adhibitâ similiter id evincente,) è cupro in lapidum superficie delineatae reperiuntur.

§. 45. Idem vitium committit in suâ de Achate Regis Pyrrhi sententiâ. Quodsi enim hujus iconogenesiam ad genus unum ab ipso constitutorum reducere velis; locum inter casu facta omninò

omnino obtinet. Unicus enim in hac specie aliàs satis fertili, & ad figuras ejusmodi recipiendas, ejus ex mente, facile præparabili, tali figurâ insignitus prodiit. Verum enim verò nimis ridiculum censet casui eundem adscribere, suiq; ipsius oblitus sic contigisse, respondet: *Pictor validis coloribus lapidem aliquem è marmorum genere pinxit, ut novem musæ pulsantem in medio mirarentur Apollinem. Inde seu casu, seu ex industriâ lapis ille jacuit per multos annos eò in loco, ubi Achatæ gigni lapides solent: evenit itaq; circumcirca gigni Achaten perspicuum & aqveum, inde inventus retulit Musas & Apollinem illum, quasi Nature industriâ fabricatum, cum Achates jam esset. Posito autem, tali modo hunc Achaten formatum fuisse, quid admirationem mereatur illud quod facile fieri potest? quomodo paulò ante non gemmam, sed miraculum hunc Achaten nuncupandum fuisse, asseverare potuit, qui jam rationem tam genuinam generationis tum hujus, tum aliorum attulit?*

§. 46. Kircherum quod concernit, hypothesis ejus *prima* ferme coincidit cum Cardani §. 13. hujus Cap. adductâ, uberius tamen diducta, & experimentò evicta. Ulterius itaq; de eâ non ago, præsertim cum ad figuras meas quomodo eam accommodem, non videam.

§. 47. *Altera* iconogenesin in lapidibus nostris ante oculum ponere, dum in exemplum simile genus adhibet, primò intuitu videtur. Pendeat ergò à corpore piscis toti illi massæ lapidescenti involuto, cujus involutionis causa aquarum exundatio, pisces secum rapiens, figuræ autem productionis lapidificatio limi, cui antea involutus piscis raptus. Sed hanc figuram exactè tantum ossaturam repræsentare, cum exemplo posito elucescat: nil cum nostris habet conformitatis, quæ in cavitate quidem tenuissimâ, non ossaturam; sed caput, squamas, pinnas, & totius piscis formam externam, in utroq; lapidis latere monstrant.

§. 48. An autem his conveniat propria piscium fossilium denominatio, vide supra §. 32. Cap. I.

§. 49. Nec mihi altera, in hac hypothesis adducta, ratio aridet. Plausibilis quidem; vix verò probabilis. Unde enim corpora emortua hanc vim plasticam habitura? Quid erit hoc corporum horum semini analogon? Mente id hæctenus tanquam valde obscurum, assequi non potui; sit igitur suo loco, & altiori judicio

cio quàm meo relictum. Ad figuras nostras certè minus quadrabit. Exemplum de metallis homogeneis, quorum unum alterius substantiæ sese jungere non averfatur, plane dispar judico.

§. 50. *Tertia*, in nova subdivisione novas species ponens, in prioris membri speciebus ætiologia priori petitionem principii incurrere videtur. Prius enim probandum: semen in materia lapidis, in terræ gremio, ad magnæ profunditatis metron latentis, existere, & hujus vim plasticam formæ tantum externæ productione contentam esse. Posito, existere tale semen, annon potius vincatur illud à femine metallari naturæ lithogenneticæ ab ipso posito & defenso, ut tot tam variisq; alterationibus vi suâ prorsus enervetur. Multum verò humani passus argumentò suò à majori ad minus. §. 29. in fin. Quis unquam saniorum philosophorum, in hoc Aristotelem defendendi, spartam suscepturus? Nam qui semper à Natura generationem masculi intendi dixerit, studium deficiendi (siquidem oporteret deficere humanum genus, deficiente sexu sequiori) ei imputabit, & qui mulierem marem la sum pronuntiaverit, divinam sapientiam, in creando genere humano, reformabit.

§. 51. Translapidationem ita evenire, ut ipse censet, posse non diffitebor, dum (i) omnium in hoc studii genere exercitatorum, metamorphosin hanc calculis adstrui, in propatulo; haud tamen talis figuris nostris cum hisce intercedit confinitas.

§. 52. In secundo autem membro ratio generationis convenit cum jam allatâ plantarum & arborum figuratione, & superiore à vi plastica, in cadaveribus remanente, ortum ducente. Sed

cùm

(i) De substantiis in lapides conversis v. g. ossibus humanis, integris sceletis, imo gigantum, quorum unum 200. cubitorum longitudinem habuerit vide Kirch, lib. cit. sect. 2. c. 2. & 4. Nidum cum pullis prope urbem Lüneburgensem in lapidem transiisse apud Albertum M. tr. 1. c. 7. ubi horrenda de integris civitatibus, exercituum turmis, lectu & auditu reperies. Similia ap. Fallopium, Rucum, Agricola, quæis adde Joh. Danæum, Majorem Dissertat. de cancri & serpentibus petrefactis ad D. Phil. Jacob. Sachsen, cum hujus Responsione. Notatu digna metamorphosis talis embryonis, in utero materno, viginti octo annis in eò gestati in vetusta Gallorum urbe Senensi, quæ comperta, post mortuæ matris alvi sectionem, anno prioris seculi septuagesimo secundo, descripta à Johanne Alhoso Hæduo Med. D. & urbis dictæ Phys. Ord. &c.

cum scrupulus, ibidem ostensus, adhuc mentem teneat, assensum præbere minimè possum.

§. 53. Reliquæ ejus rationes nituntur experientiâ, quibus artem imitatam fuisse naturam, & idem obtinuisse ostendit. Cum autem ipse, & illi quos sibi suffragantes jungit, solummodo in marmorum genere, non aliorum lapidum, experti sint; ab uno ad alterum, ut universalis proveniat ratio, argumentari velle, rationi minus conveniens judico. Interim similia experire, ne ride.

§. 54. Figuræ demum, quibus τὸ θεῖον inesse dicit, cum ratione adducta stant suô talô, ideòq; rationem hanc magni aestimo, eandem & infra retenturus.

§. 55. Ad meâ itaq; accedens sententiâ, dico: figuras nostras esse vel perpetuæ & constantis, vel rarioris & planè singularis inventionis. Illæ gaudent causâ naturali, hæc altioris sunt indaginis.

§. 56. Ad primum genus rectè intelligendum facit cognitio sententiarum de causis ipsorum metallorum, quarum præcipuè reperiuntur quatuor.

§. 57. Primum arbitrati sunt nonnulli, solum Deum esse causam efficientem metallorum illaq; jam olim omnia creasse, nec ullum de novo procreari. (k) Deum alii omnem in astra refundunt causam, dicentes à Saturno plumbum produci, à Venere æs, à Marte ferrum, à Sole aurum &c. His subscribunt Chymici, qui etsi duo metallorum principia statuunt, sulphur nempe tanquam patrem efficiendi, vi summâ præditum, & argentum vivum ut matrem, quod eidem tanquam mater sese subjiciat, tamen cœlestium motuum virtutes ac singulorum planetarum peculiare vires, in producendis his metallis, se agnoscere, vel ipsis nominibus, quæ à Planetis in metalla transferunt, apertè fatentur. Alii confugiunt ad qualitates activas, calorem nempe & frigus. Reliqui ponunt principium plasticum à Deo creatore initio creationis mineris inditum. (l) Quia verò compertum est nova interdum metalla progigni, ideò prima sententia rationi ac Experienciæ repugnat. Secunda verò (m) cum Poetarum fabulis magna ex parte conjuncta est, ut tertia & ultima de palmâ adhuc videantur certare.

§. 58.

(k) uti videre est apud Morzillum de Platonis & Aristotelis consensu. p. 167. (l) Eustachius à S. Paulo, Sect. 2. Phys. Tr. III. Qu. 2. p. 160. (m) ex mente Morzilli, l. c.

§. 58. Rem ego sic expediam. Post Deum tanquam causam primam & independentem, secunda & dependens est natura metallolithogennetica, adhuc hodiè, ex vi in primâ creatione inditâ adminiculo caloris tum siderei, tum elementaris, & frigoris, metalla producens.

§. 59. Hanc verò explicare res est gravis, cui ego vix ferendo; faciam autem præeuntibus aliis, quod potero.

§. 60. Ante omnia præsuppono metalla, lapidesq; metal-  
lares, non esse corpora ex fortuito succi sui confluxu orta, sicut  
glacies ex aquâ, arenis, stipulis fortè fortuito conflatur; sed pro-  
ductionem eis longe artificiosiore, imò & propagationem suò  
modò, etsi non vitalem, competere. *Habent, inquit (n) Sennertus  
mineralia suas formas & virtutes, ut sic dicam, seminarias, à Deo in primâ  
creatione inditas, nec demum post mundum creatum à vario elementorum  
concurſu genita, sed à Deo creata sunt, & per istas formas perpetuantur, & ab  
iis non solum formatio corporis singulorum, quæ non minore admiratione di-  
gna est, quàm quarundam plantarum & vires admirandæ; sed & perpetu-  
atio & propagatio eorundem provenit.*

§. 61. Hoc autem principium nihil est aliud quàm ipsa for-  
ma substantialis, latens quidem nos, sicut reliquæ, exceptâ huma-  
nâ, omnes; non tamen neganda, aut pro animâ vegetativa cum  
(o) Cardano (à (p) Scaligero refutato) vendenda. Adminicula habet  
seu causas promoventes, influentias astrorum, quæ succenturiatæ  
qualitates activæ calor & frigus, quæ Naturæ, tanquam (q) instru-  
menta *εὐγενεῶν*, ministrant, ille attenuando, hoc indurando aliisq;  
modis.

§. 62. Et hæc Natura à Deo in primâ creatione lapidum  
nostrorum fissilium metallicorum speciei indita, est causa figu-  
ræ (piscium) tanquam formæ externæ & accidentalis, proxi-  
ma, vera & genuina, determinans causas alias concurrentes ad  
producendum & continuandum hanc speciem cum accidentibus  
inseparabilibus, figuris hisce, modò in occultis naturæ servatò.

§. 63. Nam quævis certa species gaudet suis accidentibus  
propriis, sine quibus natura specifica eam in individuis non pro-  
pagat. E. & nostra.

§. 64.

(n) Epit. Phys. Lib. 5. c. 16. p. 77. (o) de Subtil. Lib. 5. p. 152. seqq. (p) Exerc.  
101. sect. 18. &c. (q) videatur Raconis, cit. 1. Stier, in Tabb. Phys. &c.



§. 64. Quæ verò speciei dat esse & conservari, ea dat idem & accidentibus. Atqvi natura specifica nostrorum lapidum. Ergo. Major nititur Canone: *Forma ut dat esse, dat etiam affectiones & accidentia inseparabilia.* Hinc, uti formæ substantialis, ita hujusmodi accidentium & in specie nostrarum figurarum eadem ratio aut habitudo in specie suâ.

§. 65. Unde concedo, has etiam figuras à formis suis substantialibus, appetitu scilicet naturali, intendi. Etsi enim & hæc ipsa Natura notitia per se caret, utpote quæ secundum (r) Philosophum consultatione & præelectione destituitur; interim tamen ab aliâ superiore & excellentiore, ipsô hujus Naturæ opifice, qui rerum omnium fines cognitione comprehendit, atqve ad eos obtinendos propensionem ac vires dedit, dirigitur & hunc in finem. Quemadmodum sagitta licet motus sui ignara sit, impetu & directione jaculantis, in scopum tendit. (s)

§. 66. Sed objiciat aliquis: Cur alii lapides fissiles fossilesq; non ita frequenter ostendunt talismodi figuras? Respondeo: probet prius eas cum nostris specie easdem esse, & tunc quid respondeam in promptu erit.

§. 67. Si instas: In nostris etiam omnibus ac singulis illas figuras non inveniri: Resp. per illud (t) Kirchevi: *Natura, quæ in individuo semper esse nequeunt, specie saltem perpetuitatem nancisci, indulget, pro modulo & captu suo, perenni incorruptibilitatis munere fruitura.* & subtilissimi (u) Scaligeri: *Natura nil facit nimis sed quantum satis.*

§. 68. Tandem accedit meæ etiam sententiæ robur à pari. Unde quod crystallus semper forma sexangulari gaudet? fortè modò à (x) Cardano indicto: quod, velut apum casulæ ab aliis circumdentur, atq; adeò & ipsæ hexagonæ sint, crystallus frustra ab aliis contineat; Sed optimo atq; exercitatissimo mathematico, hîc excidisse mathesin, respondet ad hanc ætiologiam (y) Scaliger.

§. 69. Unde, quod in Insulâ Cubâ lapides semper formâ rotunda conspicui? Quia Natura in hâc specie hanc formam pro fine delegit, & sibi proposuit: ut Cardani verba meo sensu effe-

D

ram.

(r) 2. Phys. text. 80. & 86. (s) Dd. Conimbricenses adversus Bened. Petarium suppresso nomine, Lib. 2. Phys. c. 9. qv. 2. art. 2. (t) I. c. (u) Exerc. 23. (x) lib. cit. p. 203. (y) Exerc. 118.

ram. Nimirum & in Cryftallo & his lapidibus Natura naturans & naturata hanc figuram intendit, & hoc modo affequitur,

§. 70. Præterea *Natura lithogenetica idem in suis effectibus producendis intendit, quod vegetabilis & sensitiva in suis. Hinc illa æquè ac hæc boni geometræ partes explevit in lapidibus, dum eorum superficies punctis, lineis, atq; omni figurarum genere, non tantùm insignivit; sed & solida corpora, omni polygonorum genere adornata, exhibuit. Neque hîc ejusdem stetit industria, sed aliis assurgens, sua, in gemmato regno, cælorum finxit tentoria, quæ & sole, lunâ, stellis, miro ordine vestivit. Deinde ad Opticam progressa, flumina, sylvas, præta, montes, maria, ad exactam perspective amissimam, in multis lapidibus ita depinxit, ut nullius optici manum, ultra suam industriam, desiderare voluisse videatur. Pictoriam deinde, sculptoriam, fusoriamq; artem complexa, quicquid in rerum natura sensibus obvium sit, delineavit. In nonnullis quoq; figurarum varietate, mira quâdam exititii operis sculpturâ, lusit: sunt verba (z) Kircheri ab hæcenus allatis non aliena.*

§. 71. Atque hæc de figuris quæ ut plurimum suæ speciei, adeoque ex naturali causâ dubio procul insunt. De reliquis, quas rarò scimus inventas, aliam causam, præter eam quam Kircherus (*suprà §. 29. Cap. 2. membr. 1.*) posuit, vix adducere quis poterit. Ludit & hîc in subterraneis divina potentia rebus.

§. 72. Deus enim non tantùm generalem concursum præbet; sed & specialiozem, quo attingat formarum productionem, in materiâ benè dispositâ, supplendo vices causæ particularis & univocæ, inquit *Racon* (A a a a) in assignandâ causâ metallorum; quibus verbis convenientiùs hîc me in præsentî *ai. n. o.* determinando, quam ipsum in suo uti posse, confido. Nimirum quod *Heraclitum Tarentinum* dixisse ferunt, cum in casâ quadam furnariâ divertisset: *Inroite, sunt & hîc Dei!* in hoc admirando opere locum, sensu Christiano, potius obtinebit.

## SECTIO II. DE MATERIA.

§. 73. Cum accidens non habeat materiam, præeunte (b) primo Magistro, & totâ (c) Peripateticorum scholâ docente. figuris

(z) cit. l. sect. 1. cap. 8. ab initio. (A a a a) l. c. (b) Arist. lib. 7. Metaph. c. 4. (c) Scal. Exerc. 298. sect. 16. & Exerc. 325. sect. 2. Zabar, lib. 2. de media Demonstr. c. 6. Piccol, in Com. 12. 2. Phys. §. 19. &c.

guris nostris, quæ ex eorum numero, eandem assignare, cathedrâ Philosophorum indignum esset.

§. 74. Est tamen eis, cum reliquis sui generis, materia in qua seu subjectum cui inhaerent, materia nimirum lapidum fissilium, qui in mineris terræ Comitatus nostri fodiuntur.

§. 75. Hos lapides ex succo metallifico, impuriore tamen, constare, à posteriori ad oculum demonstratur.

§. 76. Quando enim in fornace primùm more solito coqvuntur, scoriæ, tanquam terrestres materia inutilis, in unam massam coëuntes extrahuntur, metalla autem similiter in unam confluunt. Argentum dein à cupro, mediis separationem promoventibus, adhibitis, separatur, auri autem à cuprò, dum sumptus maximos requirat, &c. fieri non solet separatio.

§. 77. Ex hoc processu liquidum fieri puto, materiam horum lapidum esse succum metallificum, qui à Natura metallolithogētica, in hac specie producitur, cujus materia à philosophis remota & propinqua defenditur.

§. 78. Remotam omnia elementa esse, in hac specie terrâ & aqvâ prædominante, de fide omnium est, cum omne mixtum ex quatuor clementis constet, suffragante in nostrâ specie Experimentiæ calculo.

§. 79. Propinquam sulphur & Mercurium, quibus recentiores addunt salem, probat (d) Chymicorum industria, in hoc negotio non pro nihilo habenda.

§. 80. In hac ergo à primâ creatione assignatâ materiâ, quam unô verbô succum metallificum vocasse, mihi libuit, has figuras (piscium) ab hac lapidum specie non abhorrentes Natura producit, in ipso maturationis metallaris, à se intentæ, tempore, dum liquida adhuc existit, antequam frigore constipetur, & duritiem sibi convenientem adipiscatur.

§. 81. Hoc ipsum *Kirch.* in omni figurarum à se denominatarum specie requisivit: Idq; argumento ab actione artis, Naturæ, in similium figurarum formatione, æmulæ, plausibiliter, ostendi potest.

§. 82. Si enim arte tales figuras quidam formare conaretur, fieri deberet aut cælò, aut fusione & impressione formæ (ut ita

D 2

lo-

(d) vide ap. Georg. Agricol. de Ortu & causis subterraneor. lib. 5. cap. 4.

loqvar) ad hanc imaginis repræsentationem accommodata. Lapis hic ob summam friabilitatem cœlaturam tolerare vix poterit; remanet ergo fusio vel impressio. Sed eandem nisi cessante ignis beneficio, duritie, & ad fluorem redacta substantiâ, peragi non posse, satis apertum. Inde Naturam, dum materia liquida, & ad figuram recipiendam disposita iconogenesin hanc subire constat.

§. 83. Quo autem instrumento utatur, manebit inter ejus occulta reservatum. Quæ Kircherus annotavit, ni ad hoc ipsum experiendum, curiositas alicui calcar addiderit, & natura aditum fecerit, aut permiserit; vix fidem merebuntur. Naturæ semitæ in hoc genere ita abditæ sunt, modus procedendi, in harum rerum productione, ita occultus, ut ratio sola vix ad proximos, veros, & genuinos tantorum mirabilium modos pertingere queat. Ingenuè ego cum (e) Zabarella fateor ignorantiam: *si quid aliud, ad plenam hujus rei cognitionem desideratur, non est mihi verendum, me illud ignorare.*

### SECTIO III. DE FORMA.

§. 84. Quemadmodum, cum de ædibus magnificè constructis est sermo, non tantum de calce, lateribus, de lignis atque materiâ agitur, sed & forma ac structura ædium, & in quem usum sint erectæ, disquiritur; Ita qui naturæ opera debitè excutit, non de efficiente & materiâ tantum, sed & de forma totaque substantia, de usu denique atque utilitate differit. Hinc & ego reliquis causis formam & finem subjungo.

§. 85. Formam figurarum quod concernit, silentio involvere non possum vulgi sententiam, quâ inveniri tantum figuras piscium, in lacubus Comitatus nostri viventium, temere, & contra veritatem asserit.

§. 86. Pisces quos lacus uterque, falsus & dulcis, alunt, sunt potissimum sequentes: Lucius, perca, major & minor, (Kaulbarsch) Cyprinus, Leviscus, Rutilus, Angvilla, Tinca, Cyprinus latus, & pisciculi aculeati. In rivis autem & fluminibus, eum permeantibus, sunt & præter hos Cobitæ barbatulæ (Schmeerln) Truttæ.

§. 87. Cum autem non hæ solæ figuræ, sed & præter has, halecis, passeris marini, quæ & ipse vidi, schemata, his lapidibus impressa prodierint, cadit hæc opinio.

§. 88.

(e) Lib. de cal. cœl. c. 20. col. 576.

§. 88. Color quo hæ figuræ tinctæ, non idem est cum sub-  
jecti s. lapidis, sed varius, imprimis aureus & argenteus.

§. 89. Multæ retinent colorem cinereo - nigrum, promi-  
cantibus minimis aurei vel argentei scintillulis, quæ in squamis læ-  
vorem repræsentant, non aliter ac figuræ fusæ, qualem & stannum,  
aut plumbum liquefactum in extimâ superficie oculis exponit.

§. 90. Multæ verò sunt quasi auro obductæ, seu inaura-  
tæ, ob abundantiam sulphuris, in ipsâ harum formatione, squa-  
mis & reliquis lineamentis, tanquam subiecto, adhærentis; uti  
conjiçio.

§. 91. Aliæ quasi argento illitæ apparent, quod à Mercurio  
rimis & lineis hisce sese infinuante provenire potest.

§. 92. Admirationem autem meretur accuratissima capitis,  
squamarum, pinnarum, caudæq; delineatio, ut non tantum sin-  
gula membra appareant, sed & proportione invicem sibi quam  
optima, æquè ac in piscibus viventibus respondeant.

§. 93. Ne autem singulas tibi tam affabrè factas imagine-  
ris; sed in quibusdam Naturam lithogenneticam abortum quasi  
fecisse, ob materiæ minus aptam constitutionem, vel aliam causam  
externam, ex oculari inspectione certum.

§. 94. Ad formam quoq; spectat figuram non unam, sed  
communiter duas, unius tamen piscis, post fissionem in utroq; late-  
re lapidis, exactè sibi concordantes, & ad amissim congruas exi-  
stere, cum cavitate exiguâ, quam ob vacui fugam, aere omninò  
repletam esse decet. Unde quoq; in §. 90. & seq. de coloris origi-  
ne assertum stabiliri poterit, sulphur & mercurium aeri sese junge-  
re, omnesq; hiatus, ad declinandum vacuum, replere, & superficie-  
bus figurarum sese immittere.

## SECTIO IV. DE FINE.

§. 95. Certum & indubitatum est, inquit *Ben. Perer.* (f)  
Quicquid habet causam efficientem, habet etiam finem, propter  
quem fit. Quod enim efficitur, alicujus gratia efficitur. (g) Sed fi-  
guræ nostræ habent suam causam. Ergo & iis finis erit.

§. 96. Finem earundem distingvo in *generalem & specialem.*

D 3

Gene-

(f) de communibus omnium rerum naturalium princip. & affect. Lib. 8. cap. 5.

(g) Vid. & Aristot. L. 1. de gener. animal. c. 1. de Cælo L. 4. t. 32. & l. 8.  
de Republ. c. 2.

*Generalis est (α) divinæ sapientiæ & potentiaë demonstratio. Nec obstat: causam hujusmodi figurarum Naturam designasse, & finem divinæ sapientiæ testimonium posuisse. Deus enim & Natura sunt causæ subordinatæ, & Natura nil intendit, nisi ad cuius effectum à Naturâ naturante ordinata. Quod Natura naturans intendit, illud & naturatæ est instar finis. Atqui DEUS in omnibus operibus suæ sapientiæ & potentiaë laudem intendit, (quam & demonstravit) quod de fide omnium, quibus mens sana & christiana. E. Quidni & figuræ nostræ, licet à Natura naturata productæ, testimonii vices sustinebunt?*

§. 97. Subscribit huic (h) Franzius: *Hæ, inquit, figuræ ansam præbent hominibus seriò cogitandi, Deum quoq; singulari providentiâ procurare aurum, argentum, plumbum, stannum, sub terrâ, utpote in cuius rudes massas talia schemata contulerit, quæ nec usu, nec ope humanâ imprimi poterunt.*

§. 98. Has figuras vim habere aliquid significandi Cardanus ait; eandem autem reticet. Vis hæc satis magna, quæ hominem ad laudem Dei excitat, ad venerationem divinæ sapientiæ, potentiaë, & benignitatis, deducit. Quoties itaq; tales vides, Numen subesse putes, quod effecerit, quod sustineat; brutum es, ni illud celebraveris.

§. 99. Finis generalis (β) est demonstratio præcellentiaë in Natura præ arte. Multi quidem huic illam longè postponunt, ducti (i) suis rationibus; omnes illos iconogenesia nostra naturalis falsi incusat. Etenim cum hæc in tam rudi materiâ, figuras has tam subtilissimè delineaverit, nec ullus artifex in eadem materia & circumstantiis ita sese habentibus, eas formare possit, artem sibi famulitium debere, commonstrat.

§. 100. Notanter dico in eadem materia. Materia hæc est impura, friabilis, unde cælaturam non tolerat; si liqvatur, separantur heterogenea (uti §. 76. ostensum) & non manet prior materia. In alia quidem similes figuras artem elaborare posse concedo, in hac autem nego.

§. 101. Nec circumstantia loci posthabenda: Natura has figuras in gremiò terræ, ad ducentas sæpius mensuras (quas Lachter vocant) à terrâ habitabili, generat; unde tuis instrumentis, ô misera ars, te eò recipies!

§. 102.

(h) Hist. animal. parte III. cap. I. §. II. p. 600. (i) Vid. Jacob Martini Quæst. Illustr. Philos. Cent. 3. Disp. 10. Qv. 6.

§. 102. *Specialis finis*, quem figuræ singulares rarissimè inventæ indicent, à me manet indeterminatus. (k) *Kircherus* sic: *Ubi* inquit, *Deiparæ*, aut alterius alicujus sancti cultum Deus institui vult, id ut plurimum per ejusmodi signa, voluntatis suæ indices, significat. Probat & exemplis, in primis effigiei B. Virginis in Aranco inventæ, quod Deus neophytorum devotioni, erga se suamq; matrem non defuerit; sed post annum in hunc locum, viâ jam complanatâ, solitas processiones frequentatas, magnis miraculis confirmavit. (l) *Irenæus* autem de effigie Papæ in fodinis nostris Lutheri tempore repertâ, ita judicat: Deum quia hæc in Patriâ Lutheri inventa, indicasse: Papam s. AntiChristum Romanum, cum blasphemis suis, idololatriis, erroribus & abominationibus, ministeriô Lutheri verbo Dei fundatô, inibi locorum nati, manifestatum iri.

§. 103. Sed uti *Kircheri* superstitio papalis relinquenda est: Ita *Irenæi* plurimumq; aliorum pietas nullâ certâ scientia nititur; et si nec opus habeat ea. Sufficit nos hujusmodi piis meditationibus, quibus circumstantia temporis favet, excitari ad agnoscendum, Deum in Regno Gratia ex regno Naturæ, ut utrobiq; imò ubiq; jus fasq; sit exclamare: *Mirabilia opera tua DOMINE.*

TIBI SOLI GLORIA.

(k) cit. loc. (l) Lib. de monstris, Sect. 7.

## EPI METRA.

I. Orbis elementaris igneus sub concavo Lunæ non existit, nec sub eo existere debet.

II. Stoicorum ἀπαρτησὶς à sapiente requisita nec potest nec debet dari.

III. Impia est *Bodini* sententia, *Lib. 1. de Rep. cap. 6. p. 72.* statuentis, Imperia s. Respublicas vi primùm coaluisse, aut, uti loquitur *Lib. 4. cap. 1. p. 389.* à tyrannide initia habuisse.

IV. Nihilominus pro primò Monarcha rectè habetur Nimrod, *Gen. X. 8. 9. I. Par. I. 11.*

V. In Urbe hostium obsidione cinctâ, si fame plurimi hominum intereant; Dux militaris præsidii  
pru-

Xa  
207  
dx  
prudenter, legibus divinis & naturæ convenienter agit, dum deditioe ipsos vivos incolumesq; servat. Tantis- per enim defensione utendum, donec bellum est cum hostibus, non cum civibus & natura hominum, & defensio eò usq; necessaria, quò possibilis sine scelere. Si vero atrocius grassatur quàm hostes, & bellum gerit, cum miseris pueris & matribus, quibus vel ipsi irati victores parcunt: Hæc jam non defensio, sed crudelissima tyrannis & rabies est. Hinc Spartani judicii sententia, quâ Anaxilaus atqve Lycurgus, ex hujusmodi causâ Byzantium Alcibiadi dedentes, imò in speciem prodentes, absoluti fuerunt, fuit æquissima & justissima. *Vid. Plutarch. in vita Alcibiad.*

VI. In omnia alia abierunt Batavi, imò & Hispani, hòc ipsò seculò, quoties navem, accensio pulvere tormentariò, unà secum perdidderunt, ut in manus victorum salvum atq; integrum perveniret nihil. Quo verò iniquius egit è Calvinianis Theologis *Amesius in Casibus lib. 3. c. 31.* hujusmodi consuetudinem (legem enim propriè talem, aut à Republ. latam, non fuisse probat *Schook. Imper. Marit. cap. 36. p. 115.*) publicè defendens, quo cum facit è Philosophis Reform. *Burgersdicius Compend. Ethic. c. 14.* Eò magis laudanda est pia non minùs ac heroica vox Magni illius Svecorum Regis *Gustavi Adolphi*, qui cum quis è suis se atq; navim perdere maluisset quàm venire in potestatem Dantiscanorum, dicisse fertur, apud *Loccen. Lib. 3. Mar. c. 9* Erga me & regnum masculine & fideliter, erga seipsum sceleratè fecit.

---

Ad DN. BRUNNERUM,  
Virum Juvenem Literatissimum.

Omne quando moves lapidem, quæ præmia cernis?  
An lapidem Sophicum? Quid? Sophiam ipse Sophus.

Tuus PRÆSES.

VD17 22



G. K. 129, 6

I. N

DISSERTA

X 2002 409

FIGURIS VA

IN LA

ET SPECIATI

COMITATU

Adspirant

Amplissima Faculta

SU

Plurimum Re

DN. VALEN

SS. Theol. Licentiati, ej

Metaphyficas & Dialectic

rimi, Facultatis Philofop

Collegiati graviffir

DN. Patroni ac Studioru

fynes aram omni

Publica Φιλοσοφείτων

JOHANNES AM

Schraplav. Saxo, I

S.

In Athenæi Philurèi Ma

d. 8. Septemb

LIPSIÆ,

